



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 131. An dari possit hîc regula generalis agnoscendi, an metus à lege excuset vel non.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

"tūm excusat à præcepto positivo, tam divino,
 "quàm humano; sed quandoque etiam ab affirma-
 "tivo naturali: & sic (ut *Sanch. 1. mor. c. 18.*) non te-
 "netur quis cum periculo vitæ integrè confiteri,
 "servare depositum, implere votum, succurrere pro-
 "ximo extremè indigenti. *Bec. tom. 2. l. 3. c. 6. Azor*
 "*1. p. l. 1. c. 11. Lay lib. 1. t. 4. c. 14.* Excipetamen ca-
 "sum, de quo infra *l. 2. t. 3. c. 2. d. 1.*

775.

" III. Si observatio legis humanæ necessaria fit ad
 "conservandum bonum, aut avertendum malum
 "commune, quod pluris fit, quàm vita propria, tunc
 "lex illa obligat cum periculo vitæ, ut v. g. si Dux
 "mandet militi non discedere ex statione; item, si pe-
 "rituræ sint animæ, nisi Pastor adeat ægros tempore
 "pestis. *Lay l. c.*

775.

777.

" IV. Alioqui nulla præcepta humana, etiam Ec-
 "clesiastica, per se obligant cum periculo vitæ, aut
 "similis incommodi. *vid. Sanch. l. c.* ut, si v. g. cogaris
 "metu mortis contrahere cum consanguinea, in gra-
 "du prohibito lege Ecclesiasticâ, posses contrahere,
 "(in speciem) non tamen posses consummare, quia
 "cūm matrimonium esset irritum, fornicareris,
 "quod intrinsecè malum est. *Sanch. de matr. l. 7. di.*
 "*5. num. 4.*

" V. Per accidens interim accidere potest, ut lex
 "humana obliget cum periculo vitæ, ratione alterius
 "præcepti juris naturalis aut divini concurrentis, ut
 "v. g. si quis cogere vellet transgredi præceptum Ec-
 "clesiæ, in odium fidei, vel contemptum religionis.
 "*vid. Sanch. l. c. Kôn. 3. p. t. 2. d. 13 dub. 12.*

A D D E N D A.

775 Q. 131. An dari possit hęc regula generalis
 cognoscendi, an metus à lege excuset vel
 non. R. §. I.

§. I. Non possunt dari generaliores quàm hæ,
 1. Si transgressio legis sit actio intrinsecè mala, & ideo prohibita quia mala, nullus metus excusat, nam quod est intrinsecè malum, nullo casu fieri potest non malum, neque metus tollit totalem circa illud libertatem, ergo non excusat. 2. Si transgressio legis sit contra bonum commune, metus damni particularis non excusat, quia bonum commune prævalet particulari. 3. Si transgressio legis non sit intrinsecè mala, neque præjudicet bono communi, metus damni gravis excusare poterit, quia legislator non censetur velle obligare cum tanto incommodo: vide dicenda l. 3. p. I. q. 51.

§. II. Prima hìc difficultas est, ut sciatur, an hæc 776
 actio in particulari sit vel non sit intrinsecè mala, ita ut nullæ circumstantiæ possint illam cohonestare, aut an sit vel non sit præjudicans bono communi, ideoque in particulari oppositæ sunt AA. sententiæ, v. g. 1. Communior sententia Catholicorum est contra paucos apud *Castrop.* T. 2. d. I. p. 13., quòd occisio directa innocentis sit intrinsecè mala, ideoque non sit licita, quamvis Tyrannus minetur extremam patriæ ruinam: è contrà secundùm plerosque non est intrinsecè malum Tyranno extradere innocentem, quamvis prævideatur occidendus tum enim non intenditur mors innocentis sed salus communis patriæ, pro qua Resp. potest exponere subditum periculo mortis, & subditus ipse tenetur vitam suam exponere. 2. *Azor* docet neglectum Baptismi esse intrinsecè malum, quia homo negligens Baptismum exponit se periculo salutis: è contrà *Castrop.* negat. quia loco Baptismi, potest esse contritio habens moralem certitudinem de gratia, adeoque metus mortis poterit excusare à susceptione Baptismi fluminis; quod admittit, *Dian.* p. 8. t. I. R. 2. quamvis postea non esset

esset futura occasio illius, quia Baptismus fluminis determinatè, non est absolutè necessarius, sed tantum aliquis Baptismus fluminis, fluminis, aut sanguinis.

3. *Valent. Azor*, & alii putant comedere carnes hominis esse intrinsecè malum, adeoque nunquam licere, quia natura horret talem comestionem velut ferocem & barbaram: è contrà *Cajet. Sancti. Bonac. Less.* & alii plures putant non esse intrinsecè malum, quia natura non horret sed appetit, quando adest metus mortis ob extremam famem: imò contra naturam videtur esse vitam perdere, cum eam possit tueri, comedendo carnes humanas, quas verutes sunt devoraturi.

4. *Io. Sancti.* putat non esse intrinsecè malum uti simulatione in administratione Sacramentorum, adeoque posse aliquem metu mortis adactum sine intentione consecrandi dicere verba consecrationis super panes: è contrà *Suar. Vasq.* & alii communissimè dicunt talem simulationem esse intrinsecè malam, quia fit irreverentia & injuria materiæ ac formæ Sacramentorum atque horum Auctori: hinc 5. *Castrop.* dicit esse intrinsecè malum legere Missam sine vestibus sacris: è contrà *Bonac. Valent. Suar. Vasq.* & alii communis cum *Dian.* p. II. T. 6. R. 15. & 25. dicunt non esse intrinsecè malum, ideoque secluso scandalo & contemptu licere ad evadendam mortem: Atque talia exempla innumera in omnibus materiis occurrunt: quid autem absolutè tenendum sit, dicetur suis locis.

777 §. III. Altera difficultas est, quanti damni metus excuset; v. g. si hac dominicâ audiendo Missam patiat damnum unius imperialis, aut negligam lucrum ducati, an excuset: sed etiam hoc commodius explicabitur in specialibus materiis præceptorum & alia quid insinuabitur n. 781.

DU.